



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

12. Charta ut filia cum fratres in paterna succedat alode.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

*Epistola cum in loco filiorum nepotes instituantur ab avo.*

X. Dulcissimis nepotibus meis illis ego ille. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate pater cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dum & peccatis meis facientibus genetrix vestra filia mea illa, quod non optaveram, tempore naturæ suæ complente ab hac luce discessit, ego verò pensans consanguinitatis causa, dum & per lege cum ceteris filiis meis avunculis vestris in alode meo succedere minimè potueratis, ideo per hanc epistolam vos, dulcissimi nepotes mei, volo ut in omni alode mea post meum discessum, si mihi superstitis fueritis, hoc est, tam terris, domibus, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, peculium utriusque sexus majore vel minore, omnique suppellectile domus, in quodcumque dici potest, quicquid supra dicta genetrix vestra, si mihi superstitis fuisset, de alode mea recipere potuerat, vos contra avunculos vestros filios meos præfata portione recipere faciatis, & dum ipsius filia meæ genetricæ vestræ, quando eam nuptam tradidi, in aliquid de rebus meis mobilibus, drappos, fabricaturas, vel aliqua mancipia in solidos tantos dedi, vobis hoc in parte vestra supputare contra filios meis faciatis. Et si amplius vobis insuper de præsidio nostro obvenerit, tunc cum filiis meis avunculis vestris portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde omnia superius conscripta facere volueritis, liberam habeatis in omnibus potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, vel qualibet persona, contra hanc epistolam venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, inferat vobis tan. & quod repetit nullatenus vindicare valeat, sed præsens epistola omni tempore firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum illo.

*Charta qui filio aut nepote suo aliquid meliorare voluerit.*

XI. Dulcissimo filio vel nepote meo illi ego ille. Quicquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus plus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dum

& mihi jam senectus adgravat, & necessitates meas ut oportet procurare non valeo, & tu mihi in necessitatibus meis solatium præbere non desistis, & die noctumque deservire non cessas, ideo pro bonitate & pro respectu servitij tui, qua circa me defudas, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, & de meo jure in tua transfundo dominatione & potestate, absque consortio fratrum tuorum vel filijs meis, loco nuncupante illo, quicquid ibidem usque nunc tam de alode parentum quam de reliquo adtractu visus sum tenuisse, unà cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, tibi, ut diximus, à die præsentem volo esse concessum; ita ut ab hac die, sicut superius diximus, eum cum omni integritate sua habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, absque consortio fratrum tuorum vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc cessionem meam quoquo tempore venire aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

*Charta ut filia cum fratribus in paterna succedat alode.*

XII. Dulcissima filia mea illa, ego ille. Lex Salica Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Deo æqualiter donati estis filij, ita & à me sitis æqualiter diligendi, & de res meas post meum discessum æqualiter gratuletis. Ideoque per hanc epistolam te, dulcissima filia mea, contra germanos tuos filios meos illos in omni hereditate mea æqualem & legitimam esse constituo heredem, ut tam de alode paterna quam de comparatum vel mancipia aut præsidium nostrum vel quodcumque moriens reliquero, æquale lance cum filiis meis germanis tuis dividere vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quam ipsi non accipias, sed omnia vel ex omnibus inter vos dividere vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis verò, & quod sequitur.